DE DIFFERENTIA SPECIFICA INTER LUEM GONORRHOICAM ET SYPHILITICAM.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD

SUMMOS IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT ATQUE

DIE V. SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXL.

PUBLICE DEFENDET

BERNARDUS BRUENING

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS

Ed. ENGELHARD, med. et chir. Cand.
B. LOEPER, med. et chir. Dre.
C. UNGER, med. et chir. Dre.

BONNAE

LITTERIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXL.

VIRO AMPLISSIMO, ILLUSTRISSIMO,

CAR. GUIL. WUTZER,

MED. ET CHIRURG. DR., REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO,
PROF. PUBL. ORD. IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA,
CLINICI CHIRURGICI ET OPHTHALMIATRICI DIRECTORI, EQUITI,
PLURIUM SOCIETATUM LITTER. SOCIO ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

PROPTER EXIMIAM ERGA ME BENIGNITATEM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

De differentia specifica inter luem gonorrhoeicam et syphiliticam.

Ad probandam hanc differentiam inter luem gonorrhoeicam et syphiliticam primum morbos primarios, gonorrhoeam virulentam et ulcus syphiliticum, e quibus illa originem ducunt, inter se differre demonstrandum est. Hi enim si, quod ad naturam specificam attinet differunt, quin morbi secundarii diversae sint indolis, nemo dubitabit.

Si tempus, quo gonorrhoea virulenta, de qua hic agitur, exorta esse traditur, respicimus, inter omnes fere et gravissimos auctores convenit, illam triginta ad quadraginta annos, postquam lues syphilitica iam vehementissime grassata est, apparuisse, quam opinionem potissimum defendit *Astruc*, qui ex plurimis veteribus scriptoribus argumenta collegit. Idem contendit *Musa Brasavolus* (*Luisin.* aphrodisiac.), cui assentitur discipulus *Fallopius*, qui originem gonorrhoeae virulentae in annum millesimum quingentesimum trigesimum primum incidere narrat, quos sequuntur *Duncan, Balfour*, *B. Bell, Clossius*, *Howard*, *a Hoven* et plures alii. *Ritter* in libro, qui inscribitur: „Darstellung der scheinbaren Aehnlichkeit etc. zwischen Tripper- und Schankerseuche“ dicit: „Gonorrhoea maligna primo tempore, quo lues venerea in Italia apparebat a. 1494 prorsus erat ignota; nullus auctor tum temporis huius morbi mentionem facit; scriptores vero illos modo loqui de

gonorrhoea virulenta et non de quoque blennorrhoeae urethrae genere, perspicuum est, et ex aliis, qui ante illos scripsere satis elucet.

Nam blenorrhoea urethrae alia ex causa scilicet rheumatica, herpetica, scrophulosa nata in remotissima tempora recedit; ex quo sequitur, gonorrhoeam virulentam symtomatis omnino alienis excelluisse; quod iam ex sequentibus apparet, quae scripta invenies apud *van Switen* secundum Brasavolum: a viginti annis aliae quaedam species ortum habuere, — quinque sunt potissimum modi — quintus est gonorrhoea; quibus dictis gonorrhoea tum temporis exorta, ab illa benigna, quam quidem illi ignotam fuissi contendi non potest, prorsus distinguitur. Sunt quidem, qui contendant, gonorrhoeam virulentam iam longum tempus ante syphilidem viguisse, sed argumenta, quae pro hac opinione proferunt, non sufficiunt. *Tode* in opusculo: „Nöthige Erinnerungen für Aerzte und Kranke, die den Tripper heilen wollen“ etc. probare studet, gonorrhoeam antiquam eandem fuisse, quam vocamus virulentam, quod ex symptomatis comitantibus evincere molitur. Provocat *Iohannem Ardern* 1380 (apud *Astruc*), qui loquitur de calore et excoriatione urethrae. *Tode* porro suggerit mandatum antiquum Londini, quo erat interdictum, ne meretrices arsura urethrae laborantes susciperentur. Simili modo Iohanna regina utriusque Siciliae talibus meretricibus aditum in domos publicas interdixit. Ex his et potissimum ex natura acri blenorrhoeae, nec non quia concubitu communicaretur, *Tode*, *Eisenmann* aliique gonorrhoeam illam virulentam fuisse vindicant. Quo vero iure ita argumententur, non video, quippe cum satis constet, et nostris temporibus blenorrhoeas nullo contagio exortas fieri acres variis causis, longo tempore, immunditie, aliisque causis internis, quanto magis hoc in illis meretricibus fieri opportebat, quarum urethra perpetuis irritationibus erat exposita. Praeterea ex ipso dissidio scriptorum de tempore originis gonorrhoeae, satis clare mihi sequi videtur, naturam et indolem gonorrhoeae serius exortae peculiarem fuisse, cum alioquin non liqueat, cur

medici magni nominis, quos certissime non latebat cognitio gonorrhoeae ubique occurrentis, tum temporis exortam esse gonorrhoeam memoriae tradiderint, nisi naturam huius ab illa prorsus alienam cognovissent. Hoc sensu etiam accipiendum est, si apud scriptores, qui seriorem ortum gonorrhoeae defendunt, legimus, auctores veteres, cum de syphilide scriberent, nullibi gonorrhoeae facere mentionem. *Ritter* in libro supra dicto pag. V. affirmat apud veteres non occurere descriptionem huius morbi, neque apud ipsum *Vigonem*, qui decem annos operi suo de syphilide operam dedit, quod quidem optimum tum temporis habetur et in annum 1513 incidit. In exercitu gallico Neapolin obsidente illa gonorrhoea virulenta primum exorta esse videtur, quod ex testimonio *Fallopii* liquet, cuius pater in hoc ipso exercitu muneribus medici militaris fungens ibi originem morbi et decursum observatum filio tradidit. Causa, quae gonorrhoeae originem in hoc bello verisimilem reddit, est ille obscoenus mulierum abusus, quem scriptor memoriae traditum reliquit, narrans: saepissime accidisse, ut una mulier plurium cohortum militibus libidinosis servire esset coacta, ita ut fieri non posset, quin non solum vehementissima vaginae irritatio, sed etiam omnino mutata et quidem virulenta secretio harum partium excitaretur, quod analogia aliarum secretionum vehemente irritatione, coniuncta cum magno animi affectu probari potest. Auctores tum temporis etiam gallicam gonorrhoeam vocant. *Fallopius* de morbo gallico Batavii 1563.

Ex his satis elucere videtur, gonorrhoeam virulentam post syphilidem et quidem eo tempore, quo plurimi scriptores asserunt, esse exortam.

Restat nunc distinguere, utrum sit gonorrhoea virulenta eiusdem naturae cum syphilide, an sit morbus sui generis, et nihil habeat cum syphilide commune. Si consideramus, syphilidem iam triginta annos secundum scriptores ante gonorrhoeam virulentam exstitisse, revera mirum neque explicandum est, quomodo acciderit, ut, si cum gonorrhoea eiusdem esset indolis, hanc non produxerit, cum potissimum syphilis primo

exortu multo vehementius homines afficeret, quam tempore postico, et nihilominus gonorrhoea ut supra demonstravi, non secuta. Putant quidem gonorrhoeam mitiorem speciem esse syphilidis, et modo tum primum nasci potuisse, cum malignitas huius morbi remisisset; sed mihi potius membrana mucosa multo melius materiae mitiori ulceris syphilitici, qualis erat annis serioribus secundum scriptores, resistere potuisse videtur, quam acriori initio; nam quo acrior est materia eo vehementius irritat et corrodit partes. Quod hypothesin de degeneratione syphilidis in luem gonorrhoicam attinet, *Tode* in opusculo suo supra l. uberius disserit, et hoc fere modo hanc refutat. Concedit scilicet, morbos mutari posse in alios, et aliam quandam simulare naturam, sed causis huius commutationis remotis, etiam morbum ad integrum redire. Quaerit, quomodo fiat, ut syphilis in gonorrhoeam mutata nunc obstinaciter naturam obtineat, nec mitiorem iam accipiat indolem; porro, quomodo fiat, ut, cum quidem syphilis cum gonorrhoea in uno homine coniuncta occurrat, illa huic non peculiarem naturam reddat. Fatetur, se hoc non intelligere; si fortasse opponerent, membranam mucosam rem mutare, cur non etiam membrana mucosa faucium ita ageret, ubi conditiones eaedem, ac in partibus genitalibus ortum morbi aut prohibere aut commutare possent.

§. 2.

Argumenta ex communicatione contagii hausta.

Magnum momentum pro differentia utriusque morbi ex effectu contagii proficiscitur; quare respiciendae sunt experientiae medicorum, qui rem observarunt, et posteritati tradiderunt; quorum virorum cum existunt partes duae, utraque audienda, observationesque utriusque inter se comparandae.

Primum audiamus eos, qui differentiam vindicant. Ad tempus primae originis gonorrhoeae redeuntes, offendimus *Brasavolum* (Luisin. Aphrodisiac. pag. 684), qui dicit: „si quispiam

hac gonorrhoea detentus, cum sana muliere rem veneream habuerit, et ipse in hunc materiae fluxum incidit, ut videatur fere esse alter contagii modus, quoniam in hac specie per contagium recipitur, ut gonorrhoea gonorrhoeam pariat, non autem pannos vel bubones, neque in pene vel praeputio pustulas.“ Ex hoc loco elucet, gonorrhoeam non ciere affectiones syphiliticas, sed modo gonorrhoeam.

Cockburn medicus anglicus (in: the symtoms, nature, cause and cure of gonorrhoea. Lond. 1715) quamquam differentiam contagii utriusque morbi non asserit, tamen diversum effectum contagii gonorrhoeae et syphilidis clare fatetur.

Balfour (dissertatio de gonorrhoea venerea, Edinburgh 1769) etiam contendit, ex gonorrhoea nunquam nasci syphilidem; eiusdem sententiae est *Hales* (a litter containing new thoughts and observat. in the cure of the vener. diseas. Lond. 1770).

Tode in opusculo supra dicto latius de differentia contagii loquitur: „Die meinige (Erfahrung) beweist, und das werden mehrere bekräftigen, dass es gegen einen Kranken, bei welchem Tripper und syphilitische Zufälle zu gleicher Zeit gegenwärtig, dreissig Venerische gibt, die keinen Tripper haben, und eben so viele, ja mehrere Trippersieche, bei welchen kein einziger echter venerischer Zufall bemerkt wird. Ferner weiss ich aus vielfältiger Erkundigung, dass gewisse Nymphen von Gewerbe allemal, wenigstens eine geraume Zeit lauter Tripper, andere aber lauter Schanker mitgetheilt haben. Endlich ist mir noch niemand vorgekommen, der ohne vorgängige Gemeinschaft mit einer solchen Tripperquelle lediglich von einem im Geblüte befindlichen und in der Harnröhre abgesetzten Venusgifte einen Tripper bekommen hätte. Dahingegen habe ich Venerische gesehen, die mit allen möglichen Früchten des Giftes beladen waren, und doch keinen Tripper bekamen, ob sie gleich kurz zuvor einen gehörig conditionirten gehabt hatten.“

Tode hac in re virum esse magni momenti, iam ex iis,

quae *Richter* de illo dicit: „ich will ihn nicht widerlegen etc., denn es ist schwer, ja unmöglich, *Tode* durch Erfahrung zu widerlegen, viele werden gegen ihn schreien, aber wenige ihn widerlegen.“ Chirurg. Biblioth. B. IV. St. III. 1799.

Ritter (Darstellung der scheinbaren Aehnlichkeit etc. p. 9 §. 12.) si mucus gonorrhoeicus ulcus syphiliticum posset producere, simplex gonorrhoea fere existere posset nulla; nam mucum huius morbi glandem et praeputium obducentem non minus ulcus syphiliticum excitare opporteret, quam in concubitu; frictio enim, quam in concubitu alii causam protendunt, et vestibus satis vehemens est et frequens. Caeterum observatio docet, partes epidermide nudatas semper muco obtectas nunquam transire in ulcus syphiliticum. Etiam sedes secundum *Ritter* non impedit. Nam in mulieribus partes sunt eaedem, quae ulcere syphilitico et gonorrhoea afficiuntur, et tamen symptomata cum viris communia.

Petrus Frank, cuius non solum ingenium, sed etiam multorum annorum experientia, maximi est momenti, dicit: lib. V. P. I. S. 188: „ab hac (medorrhoea) ipsa vel male tractata, vel inconsulte suppressa non paucae agritudines descendunt, sed luem veneream, seu morbum a solo Mercurio domandum, viginti octo annorum in arte medendi experientia instructi ab hinc venisse conspeximus nunquam.“

C. F. Clossius, unus optimorum scriptorum, de hoc morbo gravibus argumentis differentiam utriusque morbi defendit: Ueber die Lustseuche. Tübingen 1797.

Ehrmann (Untersuchung über die Frage, ob der Tripper eine Krankheit eigner Art sei, oder ein venerischer Zufall. Frankfurt a. M. 1808.) gonorrhoeam morbum sui generis esse demonstrat. *Authenrieth* (*L. Wöhringer*, dissertatio inauguralis, de morbis quibusdam, qui gonorrhoeam male tractatam sequuntur. Tübingen 1807) potissimum gonorrhoeam ab ulcere syphilitico differre probat, quod morbi contagio gonorrhoeico exorti longe diversi essent ab illis, qui ulcus syphyliticum sequerentur.

Boerhave dicit: se nunquam vidisse quemquam, sola gonorrhoea affectum, alium affecisse syphilide. Idem dicit *Eisenmann* aliique plures.

Iam etiam sententias, et argumenta eorum perlustremus, qui differentiam negant.

Illi dicunt, gonorrhoeam afficere posse syphilide, et ulcus syphiliticum gonorrhoea, et inde contagium idem esse concludunt. Plures, e. g. *Andree, Vigarous, J. Hunter, Swediaur, Stoll, Iesse Soot, Sawrey, Lagneau, Cullerier, Freteau, Wedemeyer, Hennen* etc. Opus mihi non esse videtur, exempla horum singulorum referre, nam omnes narrant casus ubi homines gonorrhoea affecti alios syphilide affecerunt; aut vice versa. Etiamsi negari haec exempla non possint, tamen ex iis non sequitur, ut gonorrhoea et ulcus syphiliticum idem morbus sit, quod etiam adversarii satis bene demonstrant. Dicunt, difficillimum esse, partes genitales tam accurate explorare, ut possit contendi, modo adesse gonorrhoeam et nihil aliud, cum facile in plicis vaginae muliebris, aut in urethra virili parvum ulcus possit latere, unde fiat ut talis homo, qui sola gonorrhoea affectus esse creditur alium afficiat ulcere syphilitico, et tum speciem prae se fert, gonorrhoeam communicare syphilidem, quod tamen falsum est. Haec opponunt: *Duncan, Tode, Clossius, Hernandez* etc. In urethra virili saepe occulta esse ulcera syphilitica, quae non deteguntur, observationes a *Whatily, Spangenberg, Swediaur* aliisque institutae affatim evincunt.

Ab uno homine alios alio morbo affici a conditione illorum dependere potest, cum alius alii morbo magis inclinatur. Fieri etiam fortasse potest, ut, si plures cum muliere utroque morbo affecta cohabitant, primo contagium gonorrhoeicum, quod magna copia aderat, suppeditetur, secundo contagium syphiliticum, quod apud primum non erat secretum. Potest etiam utrumque tradi, si utriusque copia sufficiens.

Clossius addit: contagium syphiliticum recens mulieri communicatum aliquot temporis sine effectu posse parietibus

vaginae adhaerere; quae mulier, si fortuito etiam laboraret gonorrhoea, et nunc admitteret coitum, tribuere posset syphylidem, et ita gonorrhoeae causam syphilidis adscribi.

Ricord asserit: ex gonorrhoea simplici, cum ulcere syphilitico non complicata, nunquam nasci ulcus syphiliticum, sed mulierem utroque morbo praeditam utrumque contagium etiam tradere posse. Accusat negligentia in explorando illos, qui gonorrhoeam etiam ulcus syphiliticum procreare contendunt. Se in òmnibus casibus, ubi, accuratissima exploratione partium instituta, non nisi solam gonorrhoeam detegisset, nunquam ulcus syphiliticum secutum esse conspexisse.

Sed etiamsi conceditur, ex homine, uno morbo, e. g. gonorrhoea, affecto in alium transferri ulcus syphiliticum, non sequitur, ulcus productum esse gonorrhoea, quippe cum ulcus iam ex alio fonte haustum etiam adfuisse potest; ita *Duncan* rem explicat.

Hernandez secundum observationes: ulcera syphilitica saepe sunt tam parva et sine dolore, ut longum per tempus nullam affectionem excitantia non animadvertantur; quin imo contagium syphiliticum plures hebdomades potest latere, et si hoc tempore fit concubitus, contagium communicatur, quamquam ulcus nullibi conspicitur; talem casum narrat *B. Bell.*

Trotter tradit casus ubi nautae, concubitu exercito, ascenderent navem porficiscentes, ubi nulla contagii occasio, plures post hebdomades gonorrhaea laborare inciperent.

Inoculationes artificiales.

Cum talia experimenta ab utraque parte sunt instituta, plura, et quae mihi maioris momenti esse videntur, referam; incipiam cum iis, qui differentiam statuunt.

B. Bell, cuius experimenta inter accuratissima habenda sunt, nunquam ex materia gonorrhoeica ulcus syphiliticum exortum, neque ex ulcere syphilitico gonorrhoeam natam vidit.

Immisit materiam ex ulcere syphilitico in urethram, unde post octo dies sensus urens inter mingendum in urethra excitatus, et in urethra ipsa magnum ulcus exortum, sed effluxus totum per tempus non observatus. In alio casu materia gonorrhoeica inter glandem et praeputium ingesta, effluxus provocatus est sed nullum ulcus. Si ergo contagium idem esset, etiam in primo casu gonorrhoeam produci oportebat, eo magis quod membrana mucosa urethrae sedes est gonorrhoeae. In secundo casu autem, quis non exspectasset ulcus syphiliticum, cum locus omnino responderet.

Porro *Bell* narrat experimenta a duobus iuvenibus medicinae studiosis instituta. Applicabant materiam gonorrhoeicam inter glandem et praeputium, et contra opinionem inflammatio similis gonorrhoeae glandis producta cum copiosa secretione. Alter ex his materiam gonorrhoeicam glandi inseruit, nec tamen ulcus provocatum.

Lafont-Gauzi in homine gonorrhoea affecto locum iuxta frenulum unguento acri epidermide nudavit, ita ut materia hunc locum semper tingeret, sed ulcus non commovit. Magni momenti sunt experimenta, quae institui *Hernandez*.

In tribus iuvenibus glans lanceola secabatur, et materia gonorrhoeica ingesta, quo facto levia ulcera producta sine adspectu syphilitico, quae sponte sanata sunt. Eodem modo inficiebantur duo scorbutici, in quibus non ulcera syphilitica, sed scorbutica, quae etiam solis remediis antiscorbuticis cedebant.

Plura alia experimenta, quae omnia referre non opus est, materia gonorrhoeica instituta sunt in hominibus varia cachexia praeditis, scrophulosa, arthritica, herpetica etc. ubi ulcera nascebantur indolem cachexiae prae se ferentia, quae etiam remediis huic cachexia congruis sanabantur. Plura vero ulcerum veneriis admodum similia, ita ut, si constitutio hominum nota fuisset, ab his distingui vix potuissent. His observationibus commotus *Hernandez* admonet, quam multa in talibus casibus sint observanda, ne quis in errorem inducatur, et syphilitica habeat, quae non sint, sed ab alia causa dependeant.

Praeterea *Hernandez* observationes a *Dr. Tongue* Philadelphiae institutas tradit, ubi etiam materia genorrhoeica variis locis applicata, nullum ulcus syphiliticum commovit, quin imo saepe ne inflammationem quidem; ubi vero materia syphilitica ex ulcere inserta est, etiam ulcus syphiliticum exortum, quod observavit *Tongue* in condiscipulo quodam.

Astley Cooper quoque materiam gonorrhoeicam in partes cute orbatas ingessit, sed neque ulcus, neque alia affectio syphilitica procreatà.

V. Wedekind, in Analibus Heidelberg. 1830 eundem vidit eventum.

Ricord in (l'hopital des vénériens à Paris) et cum materia gonorrhoeica et syphilitica fecit experimenta, ex quibus resultat, materia syphilitica inserta produci affectiones syphililiticas, sed materia gonorrhoeica non, nisi etiam ulcus adesset. Ex multis experimentis haec sufficiunt.

Experimenta adversariorum.

Observatio *Hunteri*. *Hunter* dicit, se membrum virile in duobus locis, in glande et in praeputio, lancecola materia gonorrhoeica tincta sauciasse, quo facto postero die vehemens pruritus has partes vexaret plures dies persistens. Pluries hoc tempore partes explorans rubriores illas et humidiores inveniebam, quod ex frictione oriri existimabam. Non multo post praeputium intumuisse, et locum apparuisse impurum, qui in dies increscens, materiam quandam secreverit. Margines apperturae urethrae aliquid prominuisse, et aegrotum peculiarem in illa sensum observasse, ita ut effluxus urethrae expectaretur. Locus ille sordidus, tactus argento nitrico fuso, unguento mercurii dulcis obductus est. Tali modo longum per tempus ulcus illud tractatum tandem sanatum est. Sed antequam omnino sanatum ulcus, bubo exortus est glandulae inguinalis dextrae, qui inungendo mercurio in femur mitigabatur. Unguento seposito, tumor iterum apparuit, quo facto repetita inunctio ad

bubonem modo sanandum. Post duos menses aegrotus dolorem sensit pungentem in tonsilla, ubi parvum ulcus apparebat, quod saepius mercurio mitigatum, tandem curabatur. .Tempus huius experimenti fere erat trium annorum. *Hunter* ex hoc experimento materiam gonorrhoeicam, ulcus syphiliticum producere, concludit.

Andree memoria tradidit, chirurgum quendam lanceola materiam gonorrhoeicam sibi inseruisse, unde ulcus syphiliticum sit exortum.

William Harrisson immisit in urethram materiam ex ulcere syphilitico, unde effluxus apparebat. Cum vero porro tentaret materia gonorrhoeica, quam in glandem et in praeputium inseruit, ulcera syphilitica provocare, affectum vidit prorsus nullum.

Simon m'Coy affecit membranam mucosam urethrae materia gonorrhoeica, eodem tempore etiam glandem eadem materia; sequebantur gonorrhoea, et in glande ulcus quod vero facile est sanatum.

Ex his nunc experimentis, contagium gonorrhoeicum ulcus syphiliticum, et ulcus syphiliticum gonorrhoeam excitare posse, demonstrare volunt.

Differentia decursu et cura utriusque morbi probata.

Si natura utriusque morbi esset omnino eadem, revera non liqueret, cur non eundem haberent decursum, cur non eadem pellerentur cura.

Tode (Nöthige Erinnerungen für Aerztn und Kranke, die den Tripper heilen wollen, pag. 67.) hac in re magnam ponit vim ad demonstrandam differentiam utriusque morbi dicens: „der gemeinschaftliche Character echter venerischer Krankheiten ist dieser, dass sie niemals durch die blosse Hülfe der Natur gründlich geheilt werden, sondern sich entweder offenbar verschlimmern, wie bei den meisten der Fall ist, oder doch in andere, eben so nachtheilige Krankheiten übergehen. Da-

gegen pflegt ein Tripper, dessen Heilung nur nichts in den Weg gelegt wird, von selbst zu verschwinden."

Porro: „Die fast ohne alle Kunst zu bewirkende Heilung des Trippers wird itzt von keinem erfahrnen Arzte mehr abgeleugnet."

Idem dicunt *Ritter, Hernandez, Autenrieth:* ulcus syphiliticum modo arte, gonorrhoeam natura domari.

Boerhave, Astruc iam sibi habebant persuasum, gonorrhoeam mercurio ad sanandum non indigere.

Duncan maximum argumentum pro diversa natura vidit in eo, quod, si in morbo venereo cum gonorrhoea complicato adhiberetur mercurius, morbus syphiliticus quidem hac cura exstingueretur, sed nequaquam gonorrhoea, quod etiam *Eisenmann* testatur, qui semper, si in his morbis coniunctis, mercurio ulcus removerat, ad pellendam gonorrhoeam, aliis uti remediis cogebatur.

Causa ab adversariis opposita.

Richter et *Girtanner* argumentum pro differentia ex cura sumtum non admittunt, cum ex hac diversa cura non diversam morborum indolem, sed modo gradum diversum deducere liceat.

Selle, hanc ob causam mercurium vim non exercere in gonorrhoeam, quia non ageret in urinam, quod vero refutavit *Freteau,* qui mercurium in urina adesse demonstravit.

Sawrey, qui concedit, gonorrhoeam sanari posse remediis localibus, mercurium modo commendat ad cavendum ne exoriretur lues. Simili ex causa *Bayford, Whately* et *Hunter* mercurium conducere putant. *Ritter* alio loco opponit, etiam non opus esse semper ad sanandam syphilidem mercurio, sed illam et aliis medicaminibus posse exstingui; in quibusdam casibus etiam syphilidem mercurio non domari.

Opponitur etiam ab aliis, mercurium in gonorrhoeam non agere, quia contagium in urethra muco sit involutum.

Fabre contendit, contagium in urethra omnino commutari, et hanc ob causam mercurium in hoc morbo non valere, qui

in aliis morbis syphiliticis sit specificum; talia plura, quae referre operae non est pretium, contradicunt.

Ad constituendam differentiam morborum, multum etiam valet contagium ipsum, ex quo morbi proficiscuntur. Quod si enim diversa est natura, et quin morbi sint ipsi negari non potest, quare videamus, quae hac de re scriptores tradiderint.

Ab illa parte, qui differentiam confirmant, haec contenduntur.

In gonorrhoea modo mucus secernitur; in hoc ipso casu, ubi partes epidermide nudantur, et ulcera sic dicta gonorrhoeica oriuntur, nunquam pus secernitur, quod iam ex multis temporibus ab omnibus conceditur.

Handschuch (die syphilitischen Krankheitsformen etc. Seite 272): „Einige hielten den Ausfluss beim Tripper für Eiter etc., dieser Ansicht stimmt jetzt keiner mehr bei.

Thomas Gatacker una cum *Cockburn* medici anglici (observations on venerial complaints, and on the methods recommendet for their cure. Lond. 1784.). The discharge in gonorrhoea is not real pus, or matter flowing from ulcers in the passage; but only on ercresed quantity of the natural mucus rousing from the glands of the urethra in men, and of the urethra and vagina in women, arising from an irritation excited by the venereal taint.

Comparetur *Girtanner* a. a. O. Bd. III. pag. 589.

Morgagni (de sedibus et causis morborum per anatomiam indagatis libri quinque. Venetiis 1761. fol. lib. III.) Ex sede gonorrhoeae iam sequi, effluxum neque semen, neque pus, sed mucum esse.

Ritter in opusculo supra dicto, pag. 22. §. 27. dicit. „Das sogenannte Trippergeschwür ist eigentlich kein Geschwür, mag es primitiv in der Harnröhre entstehen, oder später als secundäres erscheinen, wenn wir anders mit dem Worte Geschwür die Idee einer eiternden Oberfläche, die früher oder später Substanzverlust erleidet, verbinden; denn das Trippergeschwür gibt keinen Eiter, ist selbst meist trocken, und nur

selten mit einer hellen dem blanken Schleime ähnlichen Feuchtigkeit bedeckt, unter welcher seine weissliche ins bläulich spielende Oberfläche durchscheint.“

Materiam vero ex ulcere syphilitico secretam verum esse pus, a nemine reiicitur, quare etiam hoc probare superfluum mihi videtur, cum etiam nomen ulcus hunc secretionis processum satis indicat.

Attenhofer experimentis differentiam utriusque secreti in lucem protulit, cum materiam ex ulcere sychilitico aqua tepida mixtam, tempore aliquo praeterlapso, praecipitari inveniret, materia gonorrhoecia vero supra aquam natans agitando in liquorem turbidum atque albidum transiret. Materia syphilitica cum pane vel lacte mixta avibus porrecta has interfecit, materia gonorrhoeica nihil nocuit.

Adversarii concedunt, secretum gonorrhoeicum mucum esse, et ex ulcere syphilitico pus, sed negant, inde differentiam sequi, cum hanc differentiam secreti non a natura mali, sed a diversa sede deducunt. Contra haec comparetur *Ritter*; Darstellung scheinbarer Aehnlichkeit etc. pag. 10., qui in muliere easdem partes tam in gonorrhoea, quam in ulcere syphilitico affectas esse demonstravit.

Quae ex comparatione sententiarum, et experimentorum variorum auctorum mihi sequi videantur, postea accuratius componam.

Transeo nunc ad morbos secundarios ipsos, qui ex simplicibus sequuntur.

Descriptio accuratior horum morborum apud *G. H. Ritter* legi potest. „Darstellung der scheinbaren Aehnlichkeit und wesentlichen Verschiedenheit der Schanker- und Tripperseuche pag. 27. cap. II. et pag. 80. cap. IV.

Handschuch, die syphilitischen Krankheitsformen und ihre Heilung pag. 641., qui reiicit luem gonorrhoeicam, tamen, ubi de syphilide et pseudosyphilide loquitur, graves pro lue gonorrhoeica causas existere confitetur. Dum diversa contagia syphilidis et pseudosyphilidis respuit, dicit: Wenn schon die

Annahme eines eigenen Contagiums für den Tripper, welche so wichtige Gründe für sich hat, und wofür soviel gethan worden ist, nicht bestehen, etc.“ In eadem libro pag. 57. luem gonorrhoeicam non existere contendit; sed causae ab illo prolatae ad illam negandam non sufficiunt. Nam potissimum, quia; quod *Tode* ipse fatetur, cuius descriptionem luei gonorrhoeicae paulo ante recitavit, lues gonorrhoeica raro occurrat, illam prorsus reiiciendam esse putat. Alio loco p. 59. eiusdem libri ita argumentatur: „Gegenwärtig, wo es sich täglich mehr bestätigt, dass alle syphilitische Krankheitsformen ohne Quecksilber geheilt werden können, hat der Streit über die Identität des Tripper- und Lustseuche-Contagiums alle Bedeutung verloren. Cum ergo syphilis etiam sine mercurio sanatur, contagium gonorrhoeicum cum illo syphilidis idem habet, quod tamen non liquet.

Fabre etiam distinguit inter luem gonorrhoeicam et syphiliticam; lues gonorrhoeica multo tardius et magis occulte serpit, longum per tempus non nisi affectiones locales urethrae et prostatae adsunt. Contagium saepe diu latet, et tum affectionibus vix venereis similibus se manifestat, quales sunt; herpes, dolores arthritici, ophthalmiae pertinaces, vertigo etc. Alio loco dicit: lues ex ulcere syphilitico producta multo facilius sanatur, quam quae ex gonorrhoea descendit, cui mercurius non conducit.

Quamquam *Fabre* diversum contagium non assumit, tamen sequelas accurate distinguit.

Selle omnes morbos venereos habitos, sed mercurio non cedentes a contagio gonorrhoeico dependere putat, quod a contagio syphilitico maiore mobilitate et maiore vi contrahente diiudicatur.

Quanquam contagium syphiliticum partes solidas aggreditur et corrumpit, tamen cura mercuriali removetur, quod nunquam vidimus in morbis partium genitalium a contagio gonorrhoeico provocatis.

Ritter discrimen in libro suo latius disseruit, quod paucis

modo verbis hic referam. Primum discrimen, quo lues syphilitica excellit, ponit in cohaesione partium organicarum diminuta, cuius in lue gonorrhoeica adultorum vestigium fere nullum; syphilidem semper sequuntur bubones, luem gonorrhoeicam nunquam. Morbi secundarii ulceris syphilitici semper chronici, excepto bubone, cuius indolem subacutam in natura glandularum collocat; morbi secundarii luei gonorrhoeicae occulte procedunt. Primis gradibus luei gonorrhoeicae modo cutis et periosteum peccant, in syphilide nulli systemati organorum, exceptis intestinis, parcetur. Causa mortis in syphilide est cohaesio ad summum gradum imminuta, corruptio sanguinis ex materia resorpta, febris hectica. In lue gonorrhoeica res omnino aliter se habet. Ibi nulla secretio puris, cohaesio partium non admodum imminuta, nulla corruptio sanguinis etc. pag. 133. In lue gonorrhoeica nascuntur corrosiones ulceribus similes, quae vero semper superficiem tenent, nullum secernentes pus, neque adspectum praebentes malignum, et sine peculiari odore. Ulcera syphilitica margine circumdantur elato et penitius tendunt. Fundus colore excellit flavo, et verum flavidum, viride et foetens pus secernit; dolent plerumque ulcera syphilitica: gonorrhoeica absque dolore et ex colore albido in coeruleum transeunt, sine marginibus elatis et non sanantur.

Dolores osteocopi in utroque morbo observantur, sed tamen diversi eo, quod dolores in lue gonorrhoeica modo sub vesperam apparent, nunquam medium ossium longorum sed capita modo aggredientes, et nunquam cariem provocantes. Praeterea nunquam eo vehementiae perveniunt, quo dolores in syphilide, sunt prementes non terebrantes.

Summum argumentum diversae naturae utriusque morbi habet, quod, si ad luem syphiliticam accedit lues gonorrhoeica, prima exstinguitur, et tandem, quod lues syphilitica potest sanari, gonorrhoeica insuperabilis.

Hecker, in libro: Deutliche Anweisung die verschiedenen Arten des Trippers genau zu erkennen und richtig zu behan-

deln, Erfurt 1802. pag. 21. dicit: „Gewiss ist es, dass die dem Tripper gewöhnlich zum Grunde liegende Schärfe in mehr als einer Rücksicht von der venerischen verschieden ist. Besonders beweist dies die nicht ebenso häufig vorkommende Einsaugung derselben, die dann eine Krankheit zur Folge hat, welche sich durch sehr auffallende Merkmale von der Lustseuche unterscheidet."

Pari modo *Autenrieth* distinguit inter luem gonorrhoeicam et syphiliticam, et hac de re modo descriptam habet opinionem, morbos secundarios gonorrhoeae naturam obtinere irritatam, ulceris syphilitici torpide procedere. Ulcera gonorrhoeica irritamento in peius ruunt, syphilitica ignem ferunt. Porro affirmat: si in morbis ex gonorrhoea ortis secundariis excitarentur ulcera, omnia restitui, quae vero ulceribus syphiliticis essent producta, nunquam expleri, et ipsa ossa, morbo gonorrhoeico corrupta, redire ad integrum, deleta vero contagio syphilitico, non redintegrari. Contagium syphiliticum mercurio domandum, gonorrhoeicum non exstinguendum putat etc.

Eisenmann plura etiam discrimina enumerat, quae omnia recitare longius est, et cuique legenda relinquo.

Ruef dicit: gonorrhoeam affectiones sequuntur secundariae, sed ab illis ex ulcere syphilitico natis longe diversae.

Duncan contendit, si contagium gonorrhoeicum idem esset, cum syphilitico, fieri non posse, quin quaevis gonorrhoea luem syphiliticam haberet sequelam, cum mucus profluens vasa resorbentia glandis obducens tangeret; nam resorptionem aut semper fieri oportere, aut nunquam.

Benj. Bell peculiarem naturam contagii gonorrhoeici defendens affirmat, pro sua observatione gonorrhoeam obstipatam saepe quidem bubones, sed nunquam morbum venereum provocare.

Si contagium gonorrhoeicum et syphiliticum eiusdem esset indolis, ulcera syphilitica multo frequentiora esse oportere, quam gonorrhoeam, quippe cum materia contagiosa multo

facilius ad illas partes possit pervenire, ubi sedes ulceris syphilitici, quam ad urethram sedem gonorrhoeae; experientiam autem docere, gonorrhoea laborantium multo maiorem esse numerum, quam ulcere syphilitico affectorum.

Si contagium gonorrhoeicum et syphiliticum inter se non differrent, haud bene posse explicari, cur non quaeque gonorrhoea in ulcus syphiliticum, et luem veneream, ulcus venereum non in gonorrhaeam transeat, dum mucus gonorrhoeicus defluens glandem semper madefaciat, et non raro ulcera syphilitica ad ostium urethrae, quin imo in urethra ipsa haberent sedem, et nihilominus ex gonorrhoea non ulcus syphiliticum, neque ex ulcere syphilitico gonorrhoeam prodire.

Nullam existere gonorrhoeae ex lue venerea praefectae observationem, quo dquidem, natura utriusque contagii diversa, fieri oporteat.

Experimenta hanc ob rem instituta nequaquam sufficere, quibus probetur varium contagium, neque exercita esse a medicis, omni suspicione, ne parti suae faveant, libris. Praeterea observationes duas a duobus iuvenibus medicis protulisse eventum observationibus *Hunteri* et *Harrissonis* prorsus diversam.

Petrus Frankius celeber medicus confitetur (de curandis hominum morbis lib. V. p. 189.) se inter viginti octo annos, gonorrhoeam male tractatam vel oppressam, nunquam luem veneream secutam vidisse.

Eandem opinionem profert *Clossius* (Ueber die Lustseuche. 1799. p. 87.

Cappel: ne ex illis quidem gonorrhoeis, sanguinatione comitatis, lues venerea exoritur, qua re resorptio multo fieri potest facilius, cum partes cute sunt privatae.

Wendroth (in *Rust's* Magazin Bd. V. Heft I.) tradidit, se centum et viginti gonorrhoea affectos in nosocomio *Thionvillensi* habuisse curandos, quorum, quamquam sine mercurio restitutorum, ne unus quidem affectionem syphiliticam esse perpessum.

Wedekind (Heidelberger Annal. 1830.) dicit: „Auf Trip-

per folgen nie Affektionen des Zellgewebes, der Knochenhäute, Knorpel oder Knochen, obschon Tripper und Schanker durch eine zweifache Ansteckung entstanden, neben einander bestehen können. Könnte der Tripper einen Schanker hervorbringen, so müsste bei jedem Tripper auch der Schanker sich zeigen, was ich nie erlebt habe, auch da nicht, wo der Ausfluss die Vorhaut und Eichel heftig entzündete.

Observationes, quibus luem gonorrhoeicam non differre a syphilitica adversarii probare student.

Hunter, contagium gonorrhoeicum et syphiliticum idem esse, clare elucessere, dicit, quod uterque morbus alterum possit procreare; narrat casum (*John Hunter's* Abhandlung über die venerische Krankheit, aus dem Englischen, Leipzig 1787. pag. 27.) vir quidam bis gonorrhoea affectus erat, quae utraque sine mercurio sanata, et duos fere menses post exstinctam gonorrhoeam affectiones syphiliticae apparebant. Post primam ulcera faucium, post secundam in cute pustulae mercurio cedentes.

Hunter vero diversas utriusque morbi formas concedit, dicens: Cum ex antecedentibus, gonorrhoeam et ulcus syphiliticum ex uno et eodem contagio procedere liquet, operae pretium est inquirire, quae sint causae formae tam diversae morbi utriusque; cuius argumentum ex diversa morborum sede deducit. Pag. 29. interrogat: si contagium in utroque morbo idem, cur non semper una apparent? nam exspectandum est, gonorrhoeam exortam, ulcus syphiliticum, et hoc gonorrhoeam ciere, quod quamquam raro, tamen interdum accidit, saltem causae ad hoc suspicandum exstant. Nunc narrat: se vidisse casus, ubi aliquot dies, aut hebdomades post gonorrhoeam ulcus venereum sit secutum; sed has casus non accurate describit. Etiam se, dum ulcus syphiliticum curatum sit, gonorrhoeam et dolorem inter mingendum accidere vidisse dicit.

Andree plures vidit casus, ubi post gonorrhoeam exan-

themata syphilitica et dolores artuum secuta sunt, sed ipse credit semper ulcera in urethra fuisse, cum stricturas animadverterit, concedit, luem veneream modo posse sequi gonorrhoeam ulceribus urethrae complicatam.

Van Swieten (comment. Tom. V.) gonorrhoeam bene tractatam non transire in affectiones syphiliticas, sed effluxu suppresso, aut gonorrhoea saepius repetita, luem veneream exoriri posse fatetur.

Bayford sibi habet persuasum, in viginti casibus gonorrhoeae supressae, quindecies luem veneream esse sequelam, sed non potest explicare, quomodo fiat, ut non in quoque gonorrhoea procedat resorptio contagii, praesertim cum materia gonorrhoeica saepe acerrima, quod ipsi ex indole specifica contagii venerea dependere videtur.

Cullen, tum ex gonorrhoea vehemente luem veneream existere affirmat, si inflammatio male tractando adaucta in suppurationem et exulcerationem transiret, quibus resorptio melius procederet.

Jesse-Foot, in eodem homine ex gonorrhoea ulcus syphiliticum, et luem veneream communicari posse negat, sed in alium ulcus syphiliticum ex illa transire, pari modo in eodem homine ex lue venerea aut ulcere, gonorrhoeam non procreari, cum semel ex ulcere syphilitico glandem prorsus destructum viderit, gonorrhoea non exoriunte.

Stoll, ex gonorrhoea luem veneream sequi posse concludit, quia in homine triginta quatuor annorum, plures annos post gonorrhoeam superatam, dolores artuum, ulcera faucium, macula faciei etc. exorta sint, quae ex illa gonorrhoea deducit. (Ratio medend. tom. III. p. 439.)

Valentin Kern observabat in homine robusto, qui sibi gonorrhoeam adsciverat, post plures hebdomades affectiones syphiliticas, quae admodum erant rebelles, et modo mercurio poterant exstingui (Tom. I. p. 108).

Hecker describit luem veneream et ulcera, quae ex gonorrhoea secuta esse tradit in homine admodum libidinoso, et

et saepius syphilitico; in fine descriptionis dicit: hoc in casu ulcus certe erat sequela gonorrhoeae, cum ulcus ex ulcere syphilitico ortum, multo latius partes devastaverit.

Hufeland ipse in contagio gonorrhoeico naturam peculiarem agnoscit, cum non tam facile afficiat.

Reich: studiosus quidam gonorrhoea, cui sanguinatio ex urethra accessit, laborabat. Nonnullos menses post sanatum morbum apparebant parva ulcera ad uvulam, a *Reich* ulcera catharrhalia habita; sed cum plura ad tonsillam et palatum accederent, *Reich* morbum agnovit syphiliticum, quem mercurio sanavit.

Has affectiones *Reich* ex gonorrhoea deducit, quod studiosus se post superatam gonorrhoeam nulla muliere familiariter usum esse contenderet. Tales casus plures narrat.

Cullerier maximo studio defendit opinionem, ex gonorrhoea luem veneream progredi posse; argumenta ipsi sunt, quod puellae nonnullae post effluxus gonorrhoeicos ad interiorem superficiem labiorum pudendorum, ad perinaeum et anum ulcera sint adeptae, quae cauterio cesserint. Annuaire medic. chirurg. 1819.

Non solum ex gonorrhoea ulcus syphiliticum et luem veneream, sed etiam ex lue venerea genorrhoeam oriri posse ab illis traditur.

Brasavolus dicit: „quandoque incipit cum gonorrhoea et in ea desinit (lues syphilitica).“

Simon iun. Versuch einer kritischen Geschichte der verschiedenartigen etc. Lustübel. Hamburg 1830. pag. 147: „denn gleich die erste Behauptung *Tode's* und *Duncan's*, dass die Lustseuche auf den Tripper folge, ist dahin einzuschränken, dass sie nur selten folgt, theils weil die Amalgamation des Tripper- und Lustseuche-Stoffes wahrscheinlich selten stark genug ist, um die Seuche zu erregen, theils weil in der örtlichen Entzündung der Harnröhre und der copiösen Schleimab-

sonderung etc. das Gift die Kraft verliert"; pag. 149 lib. eiusd. dicit: se illa, quae *Girtaner* contenderit, plerumque gonorrhoeae cum ulceribus aut levibus complicatae offensionibus succedere luem syphiliticam non posse comprobare, cum in gonorrhoea laesione urethrae nihil sit frequentius. Quamquam enim erectiones nocturnae et dolentes in statu gonorrhoeae inflammatorio saepissime dilacerationem vasorum aut rimas partiales urethrae commoverent, ita ut magna copia defluerent, tamen se hucusque affectiones secundarias nunquam vidisse.

Iacobs gonorrhoeam prolem esse posse luei venereae ex hoc casu deducit. Vir quidam sexaginta quatuor annos natus, praeter affectiones nervosas, plura possidebat ulcera in pectore, omnibus repugnantia remediis. Post aliquot tempus accesserat vehemens dolor urethrae una cum effluvio, cuius materia virulenta esse videbatur. Hoc effluvium exortum est, postquam uxorem duxit, quae etiam gonorrhoea afficiebatur, quare gonorrhoea et ulcus syphiliticum idem.

Selle loquitur de gonorrhoea lue venerea parta.

Plurimi vero casum, qui gonorrhoeam et ulcus syphiliticum idem habent tamen ex lue venerea gonorrhoeam sequi negant.

Hunter contendit, effectum, quem habeat lues venerea, non ex diversa partium structura dependere; in omnibus eius sequelam esse ulcera; casus, ubi ex illa sit exorta gonorrhoea illum fugit.

Petit eiusdem est sententiae.

Bach provocat ad sustentandam opinionem suam, gonorrhoeam sequi posse syphilidem, casum narratum in Iournal. Hufeland. Tom. II. pag. 199. Narratur ibi, hominem laborasse gonorrhoea, ulcere syphilitico et tumore testiculorum, qui, quamquam ex ultimis quatuor annis non nisi cum puris mulieribus concubuerit, tamen gonorrhoea sit affectus. Nonnulli alii quoque auctores hanc opinionem defendunt, exempla proferentes, ut *Lagneau*, *Bertrandi*, *Lombard* etc.; sed casus quos offerunt, nihil possunt probare, quare etiam illos omittam.

His observationibus, quibus, morbos, de quibus agitur invicem se procreare posse contenditur, multa a contrariis opponuntur.

I. Errant, qui post gonorrhoeam ulcera syphilitica, aut luem veneream exortam ex contagio gonorrhoeae profecta volunt probare; nam non raro accidit, ut contagium venereum in corpus ingestum statim affectiones secundarias pariat, quod multi observationibus suis testantur, quin illi ipsi, qui differentiam negant.

Biet: Syphilidis licet interdum affectiones primariae, tamen saepissime sunt secundariae; contendit, iam infantes contagio venereo a parentibus communicato affectos in lucem prodire, quod mox vim exercens illos vita privaret. Exanthemata syphilitica saepius brevi tempore post contagium erumpunt, et unicum exstant symptoma.

Petit hanc observationem suis affirmat, cum in uno homine nunquam antea syphilitico, primum syphilidis symtoma ulcera faucium conspexerit; in alio casu primam effectionem pustulas in cute fuisse.

Hanc opinionem testantur: *Hernandez*, *Autenrieth*, *a Hoven*, *B. Bell*, *Eisenmann*, *a Swieten*, *Hecker*, *Hunter*, *Freteau*, *Swediaur*, *de Wering* pluresque alii, qui omnes exempla proferunt, quae recitare spatium non permittit.

Si nunc in talibus casibus quidam gonorrhoea afficitur, speciem prae se fert, luem veneream serius exortam ex gonorrhoea ducere originem, quod quidem omnino falsum est.

Praeterea quam saepe accidit, ut, qui gonorrhoea laborat novo contagio ulcere syphilitico imbuitur, quod medicus, si aegrotus ultimum non confitetur concubatum, tribuit gonorrhoeae.

Negari non potest, aegrotum una utroque contagio infectum esse, quod plurimis observationibus autores testantur. A plurimis, qui post gonorrhoeam ulcera venerea procreari viderunt, parva ulcera sub praeputio aut in urethra non sunt observata. Contendit *Altenhofer*, gonorrhoeas ulceribus venereis complicatas opinione esse frequentiores.

Hernandez: Saepe ulcera in urethra, quia sunt occulta et partes non accurate explorantur, non animadvertuntur.

Howard, se etiam affectiones secundarias venereas post gonorrhoeam observasse, sed inquisitione instituta accuratiore, etiam homines iam syphilide vexatos fuisse, se comperisse.

Clossius fidem non habet iis casibus, ubi ex gonorrhoea lues exstitisse traditur, cum facile ulcus syphiliticum potuerit latere.

Nemo adhuc probavit illa ulcera, quae in casibus prolatis ab auctoribus ex genorrhoea producta sint, fuisse syphilitica et non gonorrhoeica, nam corrosiones non habenda sunt ulcera.

Bell: quis est, qui neget, gonorrhoeam parere ulcera, imprimis si illa est acerrima; sed quantopere haec ab ulceribus syphiliticis differant, neminem fugit, cum solis remediis topicis sanentur, et adhibito mercurio, in peius ruant, aut saltem ei resistant, qualem casum se vidisse in homine contendit, qui per sex hebdomades mercurium frustra contra talia ulcera adhibuerit, sed aqua Goulardi paucis diebus restitutus sit.

Eisenmann: Ulcera quae gonorrhoeae succedunt, non semper sunt natura syphilitica, sed modo gonorrhoeica, mutata diathesi scrofulosa, herpetica vel quavis alia cachexia, quod iam supra commemoravi. Ipsi illi, qui differentiam rejiciunt, concedunt, ulcera post gonorrhoeam non semper esse syphilitica, ut quae variis causis, immunditiei, materiae acri etc. originem debeant, cui sententiae assentit.

Idem dicit, acrimoniam gonorrhoeicam multis rationibus a syphilitica excellere, certum est, quod probatur lues, resorptione rarius procedente excitata, sed symtomatis claris a syphilide diversa.

Si haec omnia, quae hucusque sunt collatae accuratius perlustramus mihi satis elucere videtur, differentiam utriusque morbe non posse negari.

Nam sive diu ante syphilidem et quidem ex primis humani generis temporibus, sive diu post syphilidem exortam originem

asseris, tantum abest, ut pro natura syphilitica inde possis deducere argumenta, ut potius adsint, quae contra illam testentur.

Nam si esset lues gonorrhoeica eadem cum lue syphilitica, cur non etiam ex primis temporibus symptomata illa a scriptoribus proferuntur; si vero post syphilidem exorta, cur non illo tempore, cum syphilis maxime maligna producta?

Praeterea cur symptomata utriusque morbi tam diversa, ut et ipsi illi, qui differentiam nolunt agnoscere, symptomata diversa non possunt negare. De cura utriusque morbi non loquor, cum adhuc de hac re sub iudice lis sit.

Quod ad experientias medicorum attinet, hae tales inveniuntur, ut etiamsi non certum velim ponere iudicium tamen multo magis loquantur pro differentia. Nam casus quos illi, qui differentiam refutant, proferunt, omnes tam sunt ambigui, ut fere semper morbum complicatum assumere bono iure possis, cum ab aliis similes proponuntur casus, ubi haec complicatio revera adfuit.

Experimenta per insertionem facta etiam non nisi differentiam vindicare mihi certissime videntur. Experimenta ab iis, qui differentiam defendunt, instituta, omnes consentiunt, illa vero adversariorum partim inter se discrepant, cum alia alium habuere eventum, et quae pro eadem natura testari videntur, variam admittunt explicationem. Accedit omnium fere nunc viventium medicorum opinio.

Caetera in autorum operibus quae protuli, comparatis facile videri possunt.

V i t a.

Natus sum die decimo octavo Februarii MDCCCVI. in pago Roxel Guestphaliae, patre *Casparo Brüning,* quem adhuc vivum veneror, et matre *Elisabeth* e gente *Hartmann,* quam mortuam lugeo. Fidem confiteor catholicam. Scholas, in quibus elementa litterarum tradebantur, frequentavi in pago Roxel. Deinde Monasterii frequentavi Gymnasium, quo, post tres classes absolutas, relicto, Padibornam me contuli, unde studiis tres per annos finitis, testimonioque maturitatis, accepto, monastirium reversus ibi tres per annos philosophiae et theologiae operam navarvi.

Quae vero studiae cum minus placerent, ad chirurgiae medicinaequae studium transii, et tres per annos in instituto medico-chirurgico Monasteriensi praelectiones audivi hasce: apud cl. *Tourtual j.* adiuvante *Riefenstahl,* anatomiam nec non chirurgiam operativam nuiversalem, anatomiam pathologicam; apud cl. *Haindorf* physiologiam; apud cl. *Klatten* chirurgiam generalem et specialem; apud cl. *Wirtensohn* pathologiam generalem, nec non diaeteticam; apud cl. *Pellengahr* materiam medicam, pathologiam et therapiam specialem, nec non medicinam forensem; apud cl. *Kloeverkorn* artem obstitriciam; apud cl. *Schmedding* toxicologiam.

Anno ultimo clinicum medico-chirurgicum frequentavi.

Philosophiae collegia: Physicen et astrognosiam apud cl. *Roling*, botanicen et zoologiam apud cl. *Beks;* psychologiam et logicen, nec non metaphysicen apud cl. *Esser.*

Mense Maii MDCCCXXXVIII. almam Rhenanam petii, ibique a clarissimo *Welcker* t. t. rectore magnifico, civibus academicis adscriptus, et a clarissimo *Harless* t. t. Decano spectatissimo inter studiosos medicinae receptus, per quinque semestres hasce cholas frequentavi.

Mineralogiam apud cl. *Noeggerath*, chemiam apud cl. *Bergemann*, Phisicen apud cl. *Plücker*.

Therapiam specialem apud cl. *Nasse*, anatomiam chirurgicam apud cl. *Wutzer*, demonstrationes pharmacologicas nec non medicinam forensem et doctrinam de epizootiis apud cl. *E. Bischoff*; materiam medicam apud cl. *Harless*.

Exercitationibus mihi duces fuere: in clinico medico et propraedeutico cl. *Nasse*, in clinico-ophtalmico-chirurgico, et in operationibus instituendis cl. *Wutzer*, in clinico obstetricio cl. *Kilian*.

Quibus omnibus Professoribus optime de me meritis gratias, quam possum maximas, habeo et semper habebo.

Theses.

I.

Qui bene observare potest, bonus medicus est.

II.

Contraindicatio nulla.

III.

Menses gravidis non sunt.

IV.

Punctio vesicae urinariae supra ossa pubis operationi per intestinum rectum praeferenda est.

V.

Hepatis morbus ad provocandum icterum non necessarius.

VI.

Sectio caesarea matre non admuente facere licet.

VII.

Cura, syntomatica dicta, laudanda.

VIII.

In morbis curandis diagnosis longe gravissima res est.